

quidem Sacerdotes Stola induti; Laici vero saeculares genuflexi non ad Altare vel in Presbyterio, sed ad mensam seu ad cancellos communicandi sunt, nisi forte Altari inserviant. Communio prius ministranda est inservientibus quam aliis ratione ministerii.

1167. Quando Episcopus sacram Communionem ministrat, omnes communicantes, tam de Clero, quam de populo, et etiam Magistratus, ante Communionem osculantur manum Episcopi.

1168. Diaconus in Ordine tantum Diaconatus, extra casum necessitatis Communionem Fidelibus distribuere non potest.

CAPUT IV.

DE EXPOSITIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI.

1169. Cum expositio SS^mi Sacramenti solemnissimus actus eucharisticus sit, ideo tunc tantum exponi potest, quando gravis et iusta causa habeatur, et ubi debitus ipsi honor debitaque reverentia exhiberi possit, tum decenti apparatu Ecclesiae, Altaris, paramentorum, tum numero Ministrorum et adorantium frequentia.

§ I. — De servandis in expositione privata SS^mi Sacramenti.

1170. Privata expositio est illa, quando ex privata, gravi tamen causa, v. gr. pro aliquo infirmo etc., SS^mum Sacramentum exponitur.

1171. Haec expositio propria auctoritate Rectoris Ecclesiae, respective Superioris Regularis fieri potest; sed cum parum et paucis in locis sit in usu, aut non est introducenda, aut magna tantum cum prudentia.

1172. In hac expositione Sacerdos superpelliceo et Stola albi coloris sit indutus; cum ad Altare accedit, ipsum praecedant duo Acolythy cum thuribulo et navicula, còttisque induti. Altare sit debito modo ornatum, et in ipso saltem sex ardeant candelae.

1173. Cum ad Altare more solito pervenerit, Sacerdos genuflectit cum Ministris, Altare ascendit, Tabernaculum aperit, Pyxidem seu Ostensorium velatum tamen sub ostiolo ponit, quin e Tabernaculo extrahat; iterum genuflectit, ad planum descendit, ambobus genibus genuflectit, surgit, incensum iniicit in thuribulum, genuflexusque de more ter Sanctissimum incensat, servatis solitis inclinationibus ante et post thurificationem, et Acolytho restituit thuribulum.

1174. Postea recitat genuflexus super infimum gradum preces necessitati congruentes, dummodo sint ex approbatis¹, quales sunt ex. gr. Litaniae Lauretanae, *Pange lingua*, *O salutaris Hostia*, preces et Orationes, quae in Missali et Rituali Romano etc. inveniuntur.

1175. Cum privata SS. Sacramenti expositio fieri possit etiam pro Defuncto vel pro Defunctis, licet recitare Ps. *Miserere* vel *De profundis* et in fine adiungere *Requiem aeternam*, *A porta inferi* etc., ubi scilicet talis consuetudo viget².

¹ S. Rit. C. 31 Aug. 1867, in Mechlinien., ad 9.

² S. Rit. C. 16 Decemb. 1828, in Volaterrana, ad 5.

1176. Si expositio perduret, Sacerdos cum Ministris, facta brevi adoratione, surgunt, in plano utroque genu flectunt, et ad Sacristiam redeunt. Convenit autem, ut aliquis Sacerdos, superpelliceo et Stola indutus, continuo adorationi incumbat.

1177. Si non perduret, Sacerdos, dictis precibus de quibus supra, intonat *Tantum ergo*. Ad verba *Veneremur cernui* profunde inclinatur; ad *Genitori* thus imponit, SS. Sacramentum adolet, et dicto *Ÿ. Panem de coelo* et Oratione *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili* etc., Altare ascendit, genuflectit, ostiolum Tabernaculi claudit, quin benedictionem det, et more solito ad Sacrarium revertitur.

1178. Ubi vero consuetudo viget benedicendi populum cum Pyxide vel Ostensorio (velato semper), finita adoratione, si talis consuetudo sit longa et quasi ab immemorabili et absque gravi offensione populi aut scandalo tolli nequeat, et si Episcopus expresse vel saltem tacite talem consuetudinem approbet, benedictio semel tantum in die dari potest ¹.

1179. In hoc casu Sacerdos, dicta Oratione, Velum humerale album assumit, Altare ascendit ut supra, Pyxidem e Tabernaculo educit, super Corporale ponit, sinistra velata ad nodum illam capit, et dextera manu totum Ostensorium respective Pyxidem cum altera Veli parte cooperit ², ad altitudinem pectoris elevat, per dexteram suam ad populum se vertit et illum benedicit de more. Vid. n. 1213.

¹ Vide Gardellini, Comment. in Clementin. instruct. § 36, n. 24.

² S. Rit. C. 23 Februar. 1839, in Meliten. ad 5.

1180. Deinde per cornu Evangelii ad Altare se convertit, Pyxidem super Corporale ponit, Velum humerale dimittit, Pyxidem in Tabernaculum recondit, genuflectit, ostiolum claudit, et revertitur more solito ad Sacristiam.

1181. Observandum hic, quod in expositione SS^mi Sacramenti Pyxide inclusi thurificatio non sit de praecepto, sed omitti possit ¹.

§ II. — De iis, quae pro publica expositione SS^mi Sacramenti requiruntur.

1182. Publica expositio SS^mi Sacramenti fieri nequit, nequidem in Ecclesiis Collegiatis et Regularium etiam exemptorum, sine Ordinarii expressa licentia, quae licentia potest esse aut generalis, aut particularis pro casu particulari. Qui contra faciunt, censuris ecclesiasticis coercendi sunt ².

1183. SS. Sacramentum regulariter in Ostensorio exponi debet et quidem in throno, ita ut ab omnibus videri possit; si vero aliqua ex causa rationabili expositio fit in Pyxide, haec non in throno sub umbella collocatur, quod est prohibitum ³, sed aperto ostiolo in ipso Tabernaculo relinquatur.

1184. Altare expositionis, quod ordinarie esse debet Altare maius, utpote dignius, sit decentissime ornatum: ab eo removeantur, et ubi fixae sunt, contegantur Reli-

¹ S. Rit. C. 11 Septemb. 1487, in Ariminen.

² Ex multis Decret. S. Rit. C.: et Decret. gener. 31 Martii 1821, confirmato a Pio VII 3 April. 1821, ad 4.

³ S. Rit. C. 3 April. 1821, ad 5.

quiae Sanctorum ¹; item imagines, repraesentationes luctus aut mortis, tam ab Altari, quam ab Ecclesia removeantur; ardeant in ipso saltem duodecim candelae ex cera alba ², nisi instructio Ordinarii confirmata a S. Sede aliter statuerit.

1185. Super Altare statuatur thronus seu baldachinum, in cuius plano, ubi SS^mum Sacramentum collocabitur, sit extensum Corporale seu palla: et ante Altare ponatur pallium albi coloris, licet alius sit color Officio conformis.

1186. Altare expositionis, si structura Ecclesiae hoc permittat, cancellis fixis vel saltem scamnis ad hoc appositis clausum sit, et laicis saecularibus non permittatur, ut intra Presbyterium vel septa Altaris ingrediantur; et solis Clericis vel Laicis cotta indutis permittitur accendere candelas aut eas emungere, extinguere, etc. In eorum absentia hoc fieri potest a devoto saeculari seu Sacrista, cotta induto ³.

1187. Toto tempore expositionis Fideles et saltem duo ex nostris Clericis vel Laicis cotta induti, atque Sacerdos superpelliceo et Stola alba amictus SS^mum Sacramentum continuo adorare debent ⁴; et quicumque ad Altare accedit, ab illo recedit, vel ante Sanctissimum transit, ambo genua flectat.

1188. SS^mum Sacramentum non potest eodem die in eadem Ecclesia bis exponi in pluribus Altaribus, nec

¹ S. Rit. C. 2 Sept. 1741, ad 5.

² S. Rit. C. die 21 Decemb. 1849 instructionem Clement. in hoc sensu confirmavit.

³ Instruct. Clement. § VII.

⁴ S. Rit. C. 10 Sept. 1701, ad 18: et 17 Aug. 1833, ad 2.

semel expositum in uno Altari transferri ad aliud, ut ibi exponatur aut benedictio cum ipso detur ¹.

1189. SS^mum Sacramentum ante concionem, si concionandum sit, non exponi debet; sed si iam expositum est, ut tempore XL Horarum, sub concione tela tegatur; cerei accensi maneant, et Orator, si Sacerdos saecularis, birreto non utatur ².

1190. Quando celebrare in Altari expositionis liceat, et quid in hoc casu servandum, vide num. 831.

1191. Benedictio Candelarum, Cinerum, Palmarum in Altari expositionis SS. Sacramenti est vetita.

1192. Non licet tempore expositionis sive in Ostensorio sive in Pyxide, introducere in Ecclesiam cadavera, celebrare Missas de Requie, Exequias peragere, et similia. Quodsi sepultura immineat aut urgeat, SS. Sacramentum primo reponatur et occludatur, aut functiones funebres extra Ecclesiam peragantur, et Missa exequialis aut in alia Ecclesia aut in aliquo Sacello separato celebretur, aut ad diem sequentem differatur.

1193. In Missa diei fieri potest Commemoratio pro Defunctis, quando tertia Oratio est ad libitum.

1194. Cantus non liturgici, ut sunt cantus in lingua vernacula aut alii, qui non sunt ex Missali, Breviario et Rituali Romano, coram SS^mo Sacramento exposito improbantur ³; Preces vero faciendae approbatae sint. Vid. n. 1174.

1195. Orationes dicuntur cum brevi conclusione, nec illis praemittuntur Versiculi *Domine exaudi* etc. et *Do-*

¹ Innocent. XI, 20 Maii 1682.

² S. Rit. C. 22 Sept. 1837, ad IV.

³ S. Rit. C. 21 Martii 1609: et 24 Martii 1657.

minus vobiscum, quando benedictio immediate Orationem sequitur.

1196. *Tantum ergo* et *Genitori* semper cantantur aut recitantur ante benedictionem cum Versiculo *Panem de coelo* etc. et Oratione *Deus, qui nobis sub Sacramento*, cui adiungi potest aliqua Oratio, si dicenda, aut ex rationabili et gravi causa sit ab Episcopo concessa vel praescripta, praeterquam in festo et Octava Corporis Christi ¹.

§ III. — *De ritu publice exponendi et reponendi SS. Sacramentum.*

1197. Pro publica expositione SS. Sacramenti, ornato convenienter Altari, et disposito necessario numero candelabrorum cum cereis, et throno cum Corporali super basim; paratis in Sacratio, quae dicta sunt alibi (de officio Sacristae, num. 592): datis consuetis campanae signis; hora competenti a Clericis vel a Fratribus Laicis cotta indutis accenduntur candelae Altaris, et interim Sacrista vel Clericus pariter indutus cotta defert ad Altare Ostensorium parvo velo albo obtectum, bursam albi coloris cum Corporali, claviculam Tabernaculi, et haec omnia collocat super mensam prope medium; item Velum humerale, quod ponit super abacum seu credentiam, et librum precum locandum vel super abacum vel super gradus Altaris. Maxime autem convenit, ut tabellae Secretarum amoveantur ab Altari et alibi ponantur.

¹ S. Rit. C. 22 Septemb. 1837.

1198. Omnibus dispositis, Sacerdos superpelliceo et Stola alba indutus, praecedentibus Thuriferario cum thuribulo et navicula, duobus Clericis cum intorticiis accensis, et alio saltem Clerico pro adsistentia, facta prius ab omnibus simul Cruci aut imagini reverentia, manibus iunctis procedit ad Altare. Cum ad Presbyterium pervenerint, Thuriferarius parum recedat a latere Epistolae, deferentes intorticia ante Altare a lateribus hinc inde sistant: Sacerdos et alii progrediantur usque ad infimum Altaris gradum, et tunc omnes simul genuflexionem faciant in plano.

1199. Thuriferarius vel suo loco stabit, vel medius inter deferentes intorticia cum ipsis in plano Presbyterii adgeniculabitur, caeteri ad infimum gradum: Sacerdos vero statim, sine mora, ascendet in suppedaneum, extrahet Corporale e bursa et super mensam extendet, ostiolum Ciborii clavicula aperiet, genuflectet, custodiam seu capsulam cum sacra Hostia educet et ponet super Corporale, atque ostiolum Ciborii claudit. Hinc posito super Corporale Ostensorio, illud detegit, velum ponens super Altare in cornu Evangelii, aperit crystallum sphaerae, deinde Custodiam, et accepta per manubrium lunula cum sacra Hostia, ipsam collocat in sphaera, ita ut ex nulla parte crystallum tangat, sphaeramque claudit. Claudit inde et Custodiam, ipsam collocans a latere Epistolae super Corporale, hinc Ostensorium vertit ex parte nobiliori et super basim throni statuit si facile possit, et facta genuflexione descendit in planum ex parte Evangelii.

1200. Si thronus autem ita sit elevatus, ut Sacerdos ad eius basim manibus non pertingat, tunc posito Osten-